

CAP. X.

De vitiis in persona medici non tolerandis, à quibus Fraternitas R. C. immunis est.

EXcursum hunc à Fraternitatis R. C. Medicorum legibus in abusus quosdam nostratis medicinæ hætenus institutum non abs re fecimus, cū intelligamus dictos fratres prima sua lege, qua gratis medetur aliis, omnes hos abusus & enormitates exclusisse, quæ potissimum ab auidate lucri emergunt & procedunt: Hinc enim illi longarū Receptarum authores stimulantur, nec nō nobilium Medicamentorum artifices mouentur, ac deniq; solis vegetabilibus, aut meris Chymicis vtentes Remediis, nempe vt aucupium sibi cum sacræ Medicinæ dedecore faciant, quorum multi dant longas schedas, inanes feculas vel rixosas nenias pro auro ægrotorū: Habeatur quidē proprii lucellatio, sed ita, ne negliget honesti, iustitiæ & veritatis respectus sit amicus Æsculapii filius, sed vsque ad aras, ne Æsculapii de-